



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Vtrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquod donum
substantiale à gratia habituali distinctum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

locum inter illa: At humanitas & personalitas Verbi Divini, maximè distant inter se, & inter illas medium locum tenet gratia habitualis: Ergo humanitas non fuit unita immediatè Verbo, sed medià ipsà gratià. Major patet, nam ab extremo in extremum non fit transitus sine medio. Minor verò probatur: Humanitas est substantia aliqua finita, ordinisque naturalis, & personalitas Verbi est quid infinitum, & ordinis supernaturalis: Gratia verò habitualis, licet sit entitas aliqua finita, est tamen supernaturalis, & perfectissima participatio divinæ naturæ: Ergo medium tenet locum inter humanitatem Christi, & personalitatem ejus.

26. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Quod elevatur ad formam per quam constituitur in ratione operantis, & à qua habet solum esse secundum quid, concedo Majorem. Si elevetur ad formam, per quam constituitur in ratione hypostasis seu personæ, & à qua habet esse simpliciter & personale, nego.

Explicatur solutio: Si natura aliqua elevetur in ordine ad operationem, debet disponi per habitum, vel per aliquid aliud quod potentiam compleat in actu primo; sicut lumen gloriæ elevat intellectum beati ad operationem ad quam natura intellectiva non est sufficienter completa, nimirum ad visionem beatificam. Si autem natura elevetur ad esse simpliciter, ad quod immediatum ordinem habet, non est necesse quod prius recipiat aliquem habitum aut dispositionem per quam compleatur. Unde quia substantia creata immediatum ordinem habet ad subsistentiam à qua recipit esse simpliciter, nullà eget dispositione ad illam, neque ad aliam loco propriæ suscipiendam: quapropter ut humanitas Christi, personalitati Verbi uniatur, nullà eget dispositione & præparatione, sed sola potentia obedientialis ad illam recipiendam sufficit.

27. Hinc patet solutio ad primam confirmationem, & disparitas quæ reperitur inter essentiam divinam, ut gerentem vices speciei in visione beatifica, & inter subsistentiam Verbi Divini, ut terminantem humanitatem Christi: Nam essentia divina, cum unitur intellectui creato per modum speciei, unitur illi per modum comprincipij visionis beatificæ, & consequenter debet supponere ipsum intellectum potentem in suo genere, nimirum per modum potentie, ad eliciendam talem operationem; species enim non unitur nisi potentie jam habenti sufficientem virtutem in suo genere ad eliciendum actum ad quem determinatur per ipsam: intellectus autem creatus non habet sufficientem virtutem in suo genere ad eliciendam visionem Dei, nisi per lumen gloriæ, ut in Tractatu de visione beatifica ostensum est. Cæterum personalitas Verbi unitur humanitati Christi, per modum complementi & termini illius in genere substantiæ, ac proinde immediatè, & antecedenter ad quodcumque accidens disponens ad talem unionem.

28. Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Ordo divinæ sapientiæ postulat ut quæ maximè distant non uniantur immediatè, si illa inter se comparentur per modum potentie & actus, seu operativi & operationis, concedo Majorem. Si se habeant per modum terminantis & terminabilis, nego Majorem; nam illa quæ sic comparantur, habent immediatum ordinem, præfertim quando id quod terminat dat esse simpliciter, ut contingit in proposito; subsistentia enim

Verbi dat humanitati esse simpliciter, subindeque natura humana nullo indiget habitu aut dispositione, per quam compleatur & præparetur ad illam recipiendam, sed sola potentia obedientialis sufficit, ut supra ostendimus.



DISPUTATIO XI.

De Gratia Christi substantiali.

Hæcenus de Incarnationis mysterio, seu de unionis hypostatica, & extremis ad illam concurrentibus, personā nempe Verbi assumente, & naturā humanā assumptā. Agendum modò est de concomitantibus talem unionem, quorum aliqua pertinent ad perfectionem, ut gratia, scientia, & potentia animæ Christi; alia verò ad defectus corporis & animæ, quos Christus in humana natura assumpsit. Porro gratia Christi, de qua disserit S. Doctor quæst. 7. & 8. duplex est; altera substantialis, nempe unio Verbi cum natura humana, per quam humanitas Christi infinitè sanctificatur; altera accidentalis, seu habitualis, quæ non solum animam Christi sanctificat, sed etiam à Christo ut capite & vite, in alios sanctos, ut in membra & palmites derivatur, unde à Theologis in personalem & capitalem distinguitur. Antequam ergo de scientia & potentia animæ Christi disseramus, agendum est de triplici ejus gratia, quam D. Joannes capite primo sui Evangelij breviter insinuat. Nam de gratia substantiali & unionis dicit: *Verbum caro factum est*. De gratia Christi, ut singularis personæ, subdit: *Vidimus eum plenum gratia & veritatis*. Denique gratia capitalis illius insinuat, cum infra dicitur: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquid donum substantiale à gratia habituali distinctum?

Partem negativam tenent Paludanus in 3. dist. 13. quæst. 2. conclus. 1. Durandus eadem dist. quæst. 1. num. 8. & Rada 3. part. controuv. 4. art. 3. conclus. 4. ubi ait esse Scotis communem. Sententia tamen affirmans apud alios Theologos, tam domesticos, quàm extraneos communis est, & colligitur ex Conciliis & SS. Patribus, atque insinuat à D. Thoma variis in locis, paragrapho sequenti referendis.

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Humanitas Christi Domini est grata & sancta formaliter, per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum, nimirum per gratiam unionis.

Colligitur ex D. Thoma hic quæst. 7. art. 1. ubi ostendit necessitatem gratiæ habitualis in anima Christi Domini, primò ex propinquitatē illius ad Verbum, secundò ut esset connaturaliter principium cognitionis & amoris in ordine supernaturali, tertio ex habitudine ipsius Christi ad genus humanum, cujus est caput; non autem probat necessitatem gratiæ ex eo quod in Christo re-

quiratur aliqua forma per quam ejus anima formaliter sanctificetur : At si non sanctificaretur humanitas Christi, ex vi doni substantialis formaliter, sed solum per gratiam habitualement, illius necessitatem probaret ob effectum sanctitatis præstandum, cum sanctitas animæ sit præcipuus effectus gratiæ habitualis, à quo *sanctificans* appellatur: Ergo manifestè sentit, ad hunc effectum illam non fuisse absolutè necessariam in Christo, & consequenter ex vi doni substantialis distincti à gratia habituali, nempe gratiæ unionis, humanitatem Christi sanctificari formaliter. Unde infra quæst. 22. art. 2. ad 3. ait illam in passione habuisse *actuale hostie sanctificationem, ex antiqua charitate, & gratia unionis sanctificantem eam absolutè.*

Favent etiam Concilia & SS. Patres, nam Concilium Francofordiense in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, sic ait: *Christus naturā unctus, non per gratiam, quia in illo plenè fuit divinitas.* Et Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 29. dicit, *Christum unctum esse, non sicut alios Sanctos & Reges, sed quia Verbum caro.* Item Nazianzenus orat. 36. ferè in fine, de variis Christi nominibus agens, quæ ei in Scriptura tribuuntur: *Christus* (inquit) *dicitur propter Divinitatem, ea enim unctio est humanitatis, non operatione, ut in Christis ceteris, ungens, sed totius ungentis præsentia, cuius hic effectus est, ut id quod ungit, homo nuncupetur; & quod ungitur, Deus fiat.* Et ibidem subdit, Christum esse *divinitate delibutum, hæc enim humanitatis unctio est.* Similiter Damascenus lib. 1. de imaginibus ait, quod humanitas Christi, *non operatione Dei uncta est, ut unusquisque Prophetarum; sed totius ungentis præsentia.* Demum Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in contemplatione mystica rerum Ecclesiasticarum, Christum dicit unctum esse tanquam Regem & Sacerdotem, unctioe Incarnationis. Ex quibus locis sic licet arguere: Apud Patres Ecclesiæ idè est esse unctam, ac sanctum formaliter, unde iusti, *Christi* vocantur, juxta illud Psalmi 104. *Nolite tangere Christos meos:* Sed Christus, in quantum homo, est substantialiter unctus à divinitate, quæ, ut ait Nazianzenus, *humanitatis unctio est:* Ergo Christus, in quantum homo, est substantialiter sanctus per aliquod donum à gratia habituali distinctum.

Dices, Nazianzenum & alios SS. Patres asserentes divinitatem esse unctionem humanitatis, non esse intelligendos in sensu formali, quasi ipsa divinitas sit formaliter ratione sui unctio humanitatis, sed in sensu causali, quatenus scilicet ex unione divinitatis cum humanitate, derivatur & resultat in anima Christi gratia habitualis, quæ humanitas ejus formaliter ungitur, & formaliter sanctificatur.

Sed contra: Si Divinitas solum causaliter sanctificaret humanitatem Christi, sanctificaretur operatione divinā, cum gratia formaliter sanctificans illam, à divinitate efficienter causetur: Sed Nazianzenus & Damascenus dicunt quod *divinitas est unctio humanitatis, non operatione, ut in aliis Christis, sanctificans, sed totius ungentis præsentia:* Ergo divinitas non causaliter tantum, sed etiam formaliter, est unctio & sanctitas humanitatis Christi.

Confirmatur: Juxta Nazianzenum aliter comparatur divinitas ad humanitatem Christi, in ratione unctiois & sanctitatis, ac ad alios homines iustos: Sed divinitas est aliorum iustorum sanctitas & unctio causaliter, causat enim in illis gratiam quæ unguuntur & sanctificantur formaliter:

Tom. IV.

A Ergo divinitas est unctio & sanctitas formalis, & non solum causalis humanitatis Christi.

Potest etiam conclusio hac ratione suaderi. Ex vi gratiæ unionis sanctificatur formaliter humanitas Christi: Sed gratia unionis est aliquid substantialiale à gratia habituali distinctum: Ergo humanitas Christi sanctificatur formaliter ab aliquo substantiali, distincto a gratia habituali. Minor patet, Major probatur. Homo per gratiam habitualement habet quod sit formaliter sanctus, quia per illam trahitur ad esse divinum, seu ad participationem divinæ naturæ, quæ est ipsa sanctitas per essentiam, & filius Dei constituitur, & quia gratia habitualis habet repugnantiam cum peccato: At hæc tria multò perfectius conveniunt gratiæ unionis: Ergo per illam humanitas Christi sanctificatur formaliter. Major patet, Minor verò suadet quantum ad singulas partes. In primis enim per gratiam unionis humanitas Christi multò perfectiori modo trahitur ad esse divinum, quam per gratiam habitualement; nam per illam trahitur ad esse divinum in se, per istam verò trahitur ad esse divinum solum per participationem. Deinde Christus ut homo, per gratiam unionis fit nobiliori modo Dei filius, quam iusti per gratiam habitualement; cum per gratiam unionis Christus sit filius Dei naturalis, & iusti per gratiam habitualement, filij solum adoptivi constituuntur. Item unio hypostatica majorem habet impossibilitatem cum peccato, quam gratia habitualis, ut patet infra, cum agemus de Christi impeccabilitate: Ergo &c.

Confirmatur: Donum in radice continens omnia alia dona ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subjectum amabiliter dilectum à Deo, in quo consistit esse sanctum formaliter: Sed gratia unionis est donum humanitati factum, continens omnia alia dona ad ordinem gratiæ spectantia, nimirum gratiam habitualement, virtutes, dona, gloriam &c. cum ex vi illius hæc omnia humanitati Christi sint debita: Ergo gratia unionis constituit ratione sui humanitatem Christi sanctam & Deo gratam formaliter. Quod ut melius percipiatur, & omnis tollatur æquivocatio,

Diligenter observandum est, quod quando dicitur, gratiam unionis sanctificare humanitatem Christi formaliter: ly *formaliter* duobus modis usurpari potest. Primò contrapositivè ad radicaliter, & prout significat id quod verè & propriè atque actualiter humanitas Christi sanctificatur: Secundò contrapositivè ad materialiter, & prout sanctitatem informantem, seu inhaerentem importat. Hic ergo sumitur primò non secundo modo, quia sanctificatio non præstat à Verbi persona, ut à forma physicè informante, sed tantum terminante. Veruntamen sicut ex eo quod humanitas Christi constituatur subsistens per illam, absque informatione physica, non licet inferre illam non reddi formaliter subsistentem per subsistentiam Verbi. Ita ex eo quod eadem humanitas non sanctificetur à Divinitate, ut à forma informante, vel inhaerente, colligi nequit illam non esse sanctam formaliter per gratiam unionis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bjicies primò: Si humanitas Christi esset sancta substantialiter per gratiam unionis, gratia habitualis esset in Christo inutilis: Sed hoc non est dicendum, ut infra patebit: Ergo nec illud.

Xxx ij

10. Respondeo negando sequelam Majoris, licet enim humanitas Christi per communicationem substantialem deitatis sanctificetur formaliter, quia tamen per illam non constituitur connaturale principium operationum supernaturalium intelligendi & amandi, non excluditur necessitas gratiæ habitualis, per quam talis humanitas constituitur divina per participationem, & huiusmodi actuum connaturale principium, ut docet D. Thomas hic art. 1. & constabit ex dicendis disp. sequenti.

11. Obijcies secundo: Effectus formalis primarius alicujus formæ, nequit præstari ab alio quam ab ipsa forma, cum ab illa non distinguatur, sed sit ipsamet forma ut communicata subiecto: At esse formaliter sanctum, est effectus formalis gratiæ habitualis, ut colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi definitur gratiam esse causam formalem nostræ justificationis, subindeque & nostræ sanctificationis: Ergo à dono substantiali à gratia habituali distincto præstari nequit, & consequenter humanitas Christi Domini per solam gratiam habitualement redditur formaliter sancta.

12. Confirmatur: Quod constituit Christi animam sanctam radicaliter, non potest simul illam constituere talem formaliter: Sed gratia unionis constituit Christi animam sanctam radicaliter: Ergo ipsam non constituit talem formaliter. Minor constat, nam unio hypostatica est radix gratiæ habitualis, quæ sanctificat formaliter Christi animam. Major verò probatur: Nihil potest simul se habere respectu ejusdem effectus formalis, per modum radices, & per modum constitutivi formalis illius; unde quia homo per animam rationalem est radicaliter risibilis, non potest per eandem esse formaliter talis, sed solum per risibilitatem quæ ipsum constituit formaliter risibilem: Ergo quod constituit animam Christi sanctam radicaliter, non potest simul illam constituere talem formaliter.

13. Ad objectionem respondent aliqui, effectum formalem alicujus formæ posse præstari non solum à tali forma, sed etiam ab alia in qua eminenter contineatur: unde quia natura divina, quæ est sanctitas increata, eminenter continet gratiam habitualement, potest illius effectum formalem humanitati Christi præbere.

Sed hæc solutio displicet, Tum quia si increata sanctitas unita humanitati, illi effectum gratiæ habitualis præberet, illa superflueret in anima Christi. Tum etiam quia Deus per seipsum immediate posset effectum formalem luminis gloriæ, & habitus charitatis, intellectui aut voluntati præstare, subindeque vices illarum qualitarum supernaturalium gerere; quod communiter negant Theologi, & probant ex eo quod id quod unitur per modum principij vitalis, sive radicalis, sive proximi, necessario debet physice informare subiectum, quæ informatio divinæ perfectioni repugnat.

14. Melius ergo respondetur, concessa Majori, distinguendo Minorem: Esse formaliter sanctum sanctitate accidentali, est effectus formalis gratiæ habitualis, concedo Minorem. Esse formaliter sanctum sanctitate substantiali, nego Minorem, & Consequentiam; nam per unionem hypostaticam Christi anima non habet quod sit formaliter sancta sanctitate accidentali, sed substantiali atque personali. Unde ad confirmationem, distinguo Majorem: Quod constituit animam Christi sanctam radicaliter, sanctitate accidentali, non

A potest illam constituere talem formaliter, eadem sanctitate accidentali, concedo. Alia sanctitate, scilicet substantiali, & personali, nego. Nihil enim repugnat aliquid esse radicem respectu unius, & simul esse formam constitutivam alterius.

Obijcies tertio: Forma unita subiecto, omnem suum effectum formalem illi tribuit: At si Verbum uniretur naturæ irrationali, eam sanctam non redderet sanctitate substantiali: Ergo talis sanctitas non est effectus formalis gratiæ unionis, subindeque humanitas Christi per tale donum non redditur sancta substantialiter.

15. Respondeo quod licet forma unita subiecto capaci, omnem suum effectum formalem illi tribuat, secus tamen quando in subiecto non invenitur capacitas ad omnem effectum formalem formæ quæ ipsi communicatur: ut constat in gratia habituali, quæ non dat Christo ut homini esse filium adoptivum, quia in illo ad hunc effectum non reperitur capacitas. Constat etiam in subsistentia Verbi unita naturæ bruti, quæ illam personatam non redderet, sed tantum suppositam, etsi Verbi personalitas utrumque præstare sit potens; quia unius & non alterius effectus capax est bruti natura. Cum ergo natura irrationalis non sit capax sanctitatis, Verbum illi unitum non redderet illam sanctam, defectu capacitatis, licet esse sanctum substantialiter sit effectus formalis gratiæ unionis. Potestque argumentum retorqueri in Adversarios: Nam licet illi existiment gratiam unionis non habere vim sanctificandi formaliter, fatentur tamen illam sanctificare radicaliter humanitatem Christi, quem effectum sanctitatis radicalis non præbet in genere causæ efficientis, sed in genere causæ formalis; & tamen Verbum naturæ irrationali unitum, non redderet illam radicaliter sanctam: Ergo ex eo quod unitum naturæ irrationali, non redderet eam sanctam formaliter, perperam colligitur talem sanctitatem non esse effectum formalem gratiæ unionis.

16. Dices, Est effectus formalis secundarius possit separari à forma communicata subiecto, effectus tamen formalis primarius, ab illa inseparabilis est, cum effectus formalis primarius, nihil aliud sit quam forma communicata subiecto: Sed esse sanctum substantialiter, si præstatur à gratia unionis, non est secundarius, sed primarius effectus illius; sicut esse sanctum sanctitate accidentali, est primarius effectus gratiæ habitualis: Ergo non poterit à gratia unionis alicui subiecto communicata separari.

17. Respondeo negando Majorem, nam personam constituere est effectus primarius personalitatis Verbi, & relatum esse est effectus primarius filiationis divinæ; & tamen subsistentia Verbi naturæ irrationali unita, personam non constitueret, sed tantum suppositum; & filiationis Verbi humanitati unita, non refert humanitatem, sed tantum illam subsistentem reddit: Ergo forma subiecto communicata, potest illi non præbere omnem suum effectum formalem, quantumvis primarius sit, ob incapacitatem subiecti; & consequenter quamvis detur quod esse sanctum substantialiter, sit effectus formalis primarius gratiæ unionis, tamen poterit ab ipsa non communicari naturæ irrationali, quia incapax est huiusmodi effectus. Nec obstat probatio in contrarium, quia effectus formalis primarius, non est forma communicata nisi subiecto capaci.

19. Respondeo secundò, datà Majori, negando Minorem: sicut enim effectus formalis primarius gratiæ habitualis, est reddere hominem deificatum accidentaliter, seu naturæ divinæ participem; reddere verò illum sanctum & gratum Deo accidentaliter, est effectus duntaxat illius secundarius. Ita reddere naturam deificatam substantialiter, est effectus formalis primarius gratiæ unionis; sanctitas verò substantialis secundariò tantum ab illa procedit, subindeque ab illa separabilis est de absoluta Dei potentia.

20. Objicies quartò: Illud solum sanctificare potest formaliter, ratione cujus subiectum acceptatur ad gloriam: Sed ratione gratiæ unionis subiectum non acceptatur ad gloriam, cum possit Deus humanitati Verbo Divino hypostaticè unitæ, vitam æternam negare de absoluta potentia: Ergo per gratiam unionis non sanctificatur formaliter.

21. Respondeo, concessà Majori, negando Minorem, ad cujus probationem dicendum quod in casu quo Deus humanitati Verbo hypostaticè unitæ vitam æternam negaret, maneret humanitas ex vi gratiæ unionis acceptata ad vitam æternam in jure, etsi in re & de facto non esset acceptata ad illam, ut petebat quantum est de se gratia unionis: hoc verò sufficit ut formalis sanctitas sit, ut patet in ipsa gratia habituali, quæ sanctificat hominem formaliter sanctitate accidentaliter, quia dat jus ad beatitudinem, & facit hominem acceptum ad illam in jure, quamvis de potentia absoluta homo iustus, & in gratia constitutus, in re & de facto posset non acceptari ad illam; potest enim Deus homini in gratia constituto vitam æternam negare, imò & illum in æternum punire, suâ utens absolutâ potentia.

22. Dices, Si gratia unionis esset Deo ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad beatitudinem, vel esset ratio illam diligendi in ordine ad beatitudinem, amore necessario, vel amore libero? Primum dici non potest, cum Deus extra se nihil necessariò diligat. Nec etiam secundum, nam bonum infinitum (quale est gratia unionis) non liberum, sed necessarium terminat amorem: Ergo gratia unionis non est ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad beatitudinem, nec per consequens illam sanctificat formaliter.

23. Respondeo negando Minorem, quantum ad secundam partem, ad cujus probationem dicendum, quod quamvis infinitum bonum in seipso, necessarium terminet amorem in Deo, ut tamen naturæ creatæ communicatum, non terminat amorem necessarium, sed liberum: ut patet in actibus Christi meritoriis & satisfactoriis, qui licet infinitate quadam morali gaudeant, ut disp. 4. ostendimus, tamen non necessitant voluntatem divinam ad præmium, nec ad pœnæ remissionem, nisi supposito pacto, quia non sunt per essentiam, sed per communicationem infiniti.

ARTICVLVS II.

A quo sanctificetur formaliter humanitas Christi sanctitate substantiali: an à modo unionis, vel à Verbi Personalitate, vel à sola Natura Divina?

24. O stendimus articulo precedenti, humanitatem Christi sanctificari formaliter, sanctitate substantiali, per gratiam unionis: Sed quia in tali gratia tria considerari possunt, quæ possent

Tom. IV.

A reddere Christi animam formaliter sanctam, scilicet modus unionis humanitatis Christi cum personalitate Verbi, quem aliqui probabilius admittunt; ipsa personalitas, quæ immediatè tali humanitati conjungitur; & natura divina in ipsa personalitate inclusa, quæ secundariò tantum, & mediante personalitate, eidem humanitati unitur; difficultas est & controversia inter Theologos, quodnam ex illis tribus sanctificet formaliter humanitatem Christi sanctitate substantiali: Alij enim existimant illam formaliter sanctificari à modo unionis, alijs à personalitate Verbi, alijs verò à divinitate, prout à personalitate distincta virtualiter.

§. I.

Rejiciuntur duæ primæ sententiæ. & tertia ut verior & probabilior eligitur.

Dico primò, sanctitatem substantialem humanitatis Christi, non esse formaliter à modo unionis, quem aliqui inter humanitatem & Verbum constituunt.

Hanc conclusionem probat Vazquez hic disp. 25. 30. cap. 3. quia si unio esset forma præstans effectum sanctitatis, sequeretur apertè non posse assumi divinitus naturam irrationalem: nam ubi est impossibilis effectus formalis formæ intrinsicè inherētis, impossibile est tale formam reperiri: natura autem irrationalis est incapax sanctitatis: non potest igitur recipere unionem, si ab illa tanquam à forma sanctitas in natura assumpta proveniat.

Sed hæc ratio non valet, quia ut articulo precedenti ostendimus, & variis exemplis declaravimus, licet forma unita subiecto capaci omnem suum effectum formalem illi tribuat, secus tamen quando in subiecto non invenitur capacitas ad omnem effectum formalem formæ quæ ipsi communicatur. Unde sicut nihil est quod obitare videatur quominus gratia habitualis collocetur divinitus in lapide, isque nihilominus non dicatur sanctus, nec fiat objectum amoris amicitie divinæ, sed tantum dicatur habens illam formam quæ in subiecto capaci præstaret effectum illum morale reddendi sanctum, & objectum dilectionis: ita nihil vetat unionem hypostaticam cum persona Verbi, naturæ irrationali communicari, & in illa esse modo merè physico, & absque eo quod illi tribuat effectum formalem sanctitatis. Hac ergo ratione prætermissa.

Probatur primò conclusio: Modus unionis non est sanctitas per essentiam, cum sit aliquid creatum, nec sanctitas per participationem, cum non sit participatio sanctitatis per essentiam, nempe naturæ divinæ, sub conceptu naturæ, cui soli convenire potest prædicatum sanctitatis per essentiam, ut ex dicendis infra constabit: Ergo non est sanctitas formalis, & consequenter non potest effectum sanctitatis præstare.

Probatur secundò ratione fundamentali. Si daretur modus unionis inter humanitatem & Verbum, quantum ad sanctitatem animæ, aliud non faceret quàm applicare & unire ipsi animæ bonum increatum, quod formaliter eam sanctificat, esset enim essentialiter unio & applicatio talis boni: Ergo non potest dici quod sanctificaret formaliter animam Christi, sicut neque propter similem rationem potest dici quod unio gratiæ habitualis cum anima, formaliter eam sanctificet, quod unio albedinis cum pariete, ipsum dealber

X x iij